Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25878
Copyright: Admont, Benediktinerstift

reparatum siue pocius inmutatum existimauerunt. Cum ipse simul cum aliis alios cepit opprimere, alii sua inbecillitate eius dicioni ceperunt esse subiecti. Unde legitur de eo: (In Genesi) Cepit nemroth esse robustus uenator coram domino, id est hominum oppressor et extinctor: quos ad turrem edificandam allexit.

D. VII.

Ius autem constitutionis cepit a iustificationibus quas dominus tradidit ~~moysi~~ dicens: Si emeris seruum hebreum et cetera. Unde ~~ysidorus in libro v. ethymologiarum ait.~~

De conditoribus legum.

Moyses gentis hebree primus omnium diuinas leges sacris litteris explicauit. ~~foroneus~~ rex grecis primus leges iudiciaque constituit. Mercurius trimegistus primus leges egyptiis tradidit. Solon primus leges atheniensibus edidit. Ligurgus primus lacedemonibus iura ex appollinis auctoritate confinxit. Numa pompilius qui romulo successit in regno primus leges romanis edidit. Deinde cum populus sediciosos magistratus ferre non posset decem uiros legibus scribendis ~~curauit~~ [creauit]. Qui leges ex libris solonis in latinum sermonem translatas xii tabulis exposuerunt.

Nomina eorum qui leges xii tabularum exposuerunt.

Fuerunt autem hii: Appius. Claudius. Genutius. Veterius. Iulius. Manlius. Sulpicius. Sextius. Curatius. Romilius. Postumius. Hii decem uiri legum conscribendarum electi sunt. Leges autem redigere in libris primus consul pompeius instituere uoluit, sed non perseuerauit obtrectatorum metu. Deinde cesar cepit id facere, sed ante interfectus est. Paulatim autem antique leges uetustate atque incuria neglecte sunt [l. obsoleuerunt]. Quarum etsi iam nullus est usus, noticia tamen necessaria uidetur.

Noue autem a constantino cesare ceperunt et reliquis succedentibus. Erantque permixte et inordinate.

Postea theodosius minor augustus ad similitudinem gregoriani et hermogeniani codicem factum constitutionum a constantini temporibus sub proprio cuiusque imperatoris titulo disposuit, quem a suo nomine theodosianum uocauit.

D. VIII.

Differt etiam ius nature a consuetudine et constitutione. Nam iure nature sunt omnia communia omnibus. Quod non solum inter eos seruatum creditur, de quibus legitur: multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una et cetera. uerum etiam ex precedenti tempore a philosophis traditum inuenitur. Unde apud ~~platonem~~ illa ciuitas iustissime ordinata traditur, in qua quisque proprios nescit affectus. Iure uero consuetudinis uel constitutionis hoc meum est, illud uero alterius. ~~Unde augustinus ait super iohannem.~~

Iure diuino omnia sunt communia omnibus, iure uero constitutionis hoc meum, illud alterius est.

Quo iure defendis uillas ecclesie? diuino an humano? Diuinum ius in scripturis habemus, humanum in legibus regum. Unde quisque possidet quod possidet? Nonne iure